

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. III.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

peccatorum, sed etiam certam futurae gloriae consecutionem.

§. III. Atque hunc sensum obtinet vocabulum *εὐαγγέλις* in scriptis apostolorum, utpote qui ad id vocati, & ordinati erant, ut euangelium de Christo annuntiarent mortalibus, tam Iudaeis quam gentilibus. Vnde hoc primum suae concionis & cognitionis argumentum esse, Paulus contendit, se, inquit; Christum crucifixum hominibus annuntiare; imo se esse, dicens, *apostolum ἀφορισμένον ad euangelium Dei, quod per prophetas in scriptura promissum erat, de filio ipsius, qui ex semine Davidis quoad carnem oriundus erat, Rom. I. 2. 3.* Sed haec non ita accipienda volumus, ac si excluderemus ex apostolorum scriptis & sermonibus, euangelium sensu speciali acceptum: minime gentium! Euangelium enim specialissime acceptum, non hanc tantum refert propositionem: Christus Messias in veteri testamento promissus, nunc actu est exhibitus: sed & quo pacto donorum coelestium ac spiritualium a Christo nobis pactorum compotes fieri queamus, condocet. Vnde & hoc demum nomine *εὐωδία* & odor vitae ad vitam rectissime ab

E

aposto-

apostolo adpellatur. Nos enim qui per Dei gratiam noui testamenti oeconomia fruimur, non amplius futurum expectamus redemptorem, sed de exhibito, & partis per eum gratiae donis, gaudemus.

§. IV. Quoad substantiam, seu rem ipsam parum quidem discriminis inter sensum specialem & specialissimum intercedit; cum reconciliatio, & remissio peccatorum gratuita in Christo per fidem impetranda, quae in veteri testamento oblata fuit, eadem etiam in nouo offeratur. Vnde superflua videri poterat huius distincti sensus commemoratio, cum ad vnum ferme collineet. Interim, quoniam ipse Spiritus sanctus diuersum hunc offert sensum, & si non substantiale, accidentale tamen, & quoad circumstantias maximum discrimen aperte sese prodit, adnotasse non erit superuacaneum. Proprie enim, noui testamenti euangelium est illud, quod Messiam exhibitum, non demum sperandum, cum infinito merito eius, & satisfactione fide amplectendum sistit, & gratiam, peccatorum remissionem, & vitam aeternam per ipsum impetrandam offert. Ast in veteri testamento promissiones tempore noui testa-
menti